



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. VIII. De habitationibus Caucorum. Nesciit urbium claustra sibi fidere
docta Germania. Civitas pro corpore pagorum. Civitates Transhenanae.
Parochia pro diaecesi. Pagus uti portio civitatis, ita ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13007

hospitum Saxo, multam fixit atque fundavit in Britannia Saxoniam. Unde Moguntinus Bonifacius, in epistola ad Zachariam Papam, pro Britannia *Transmarinam Saxoniam* usurpavit. Alia quoque secula transportatum in diversa terrarum Saxonem videre Longobardo sociatus, postquam diu terrorem, & cædes, & incendia circumtulisset, deposuit in Italiæ parte vastatricium partem copiarum, uti colligere licet è primo Witechindi libro. Carolus deinde Magnus, assiduò turbidum expertus, nativo aëre modò Francicum, modò Flandricum, modò Brabanticum mutare debellator jussit, ut alienigenarum consuetudine domitus, admitteret aliquantò promptiùs, quæ inter suos per abruptam contumaciam repellebat. Sed increpetur excursurus in ceteriora tempora stylus.

CAP. VIII.

De habitationibus Caucorum. *Nesciit urbium claustra sibi fidere docta Germania. Civitas pro corpore pagorum. Civitates Transhenana. Parochia pro diacesi. Pagus uti portio civitatis, ita pagi vicus. Dii regionis in pagos diribitio Teutonibus adamata. Vadamarii, Alfacensis, VVormatiensis, Chattuariorum, Chamavorum, Holsatia, Emisgoe, VVestfalia, Angeria, pagi. Prasulis Adalberti ambitio. VVimodia pagus, in quo Brema. Vici unde, Burgum, Burgarii. Iuncta frequentium adificiorum series urbs Herodoto*

*vocatur, ac Ptolomæo. Sicuti nostris Stede. Nomina
Cauciarum habitationum à domibus emanae: nec
non à sepimentis, montibus, arbutis, virgultis, rivis,
agrorum parte, tuguriis.*

URbium claudi repagulis ac coërceri, prif-
codedecorosum insolénsq; Germano fuit.
Tacitus: *Nullas Germanorum populis urbes habi-
tari, satis notum est. Sprêvere saxea mœnia,
minantes cœlo turres, ferratósque portarum
obices, qui in dextris suis spem omnem præsi-
diúmque portabant, omnique munimento va-
lidius existimabant, munimento non egere.
Neque verò coctilibus adscribenda lateribus
est emergentium urbium gloria. Ottho in ea,
qua turbidum militem perstringit ac mulcet,
oratione: *Quid vos pulcherrimam hanc urbem do-
mibus & tectis, & congestu lapidum stare creditis?*
Hist. I. Urbem veriùs efficit in unum coëun-
tis consensus atque conspiratio multitudinis,
eadem iussa reverentis ac regimen, nec contra-
cta nimium, nec ampla nimium aut diffusa, ut
& in se ruere, more prægrandium vetetur, &
hostilia intentantibus eadem regerere queat.
Interim eorum, qui & novêre priscitus, &
ignoravêre mœnium substructiones, passim
leguntur in autoribus *civitates*. Taceantur Ja-
zygum, Britannorum, Gallorum, Hispano-
rum, Belgarum, Helvetiorum Cæsari memo-
rata*

ratæ Tacitôque civitates. Epitome Liviana Decad. XIII. lib. x. *Bellum adversus Germanorum trans Rhenum civitates gestum à Druso refertur.* Lib. VII. *Civitates Germanicæ cis Rhenum & trans Rhenum posite, oppugnantur à Druso.* In Transrhenanis Caucia civitatibus erat. Vim ejuscemodi consortionis apud Polybium l. IX. legatus aperuit Ætolorum, in concione, quâ in Philippum, totâque Macedonum invehitur regiam: Ἦν τὴ συνήγη τὴ ἐπὶ Θράκης Ἑλλήων, ἕς ἀπὸ κισσῶν Ἀθλωαῖοι καὶ Χαλκιδεῖς. Id est, *Erat olim inter Græcos, qui Thraciam colebant, corpus veluti quoddam & resp. communis coloniarum ab Atheniensibus & Chalcidensibus eò deductarum.* Hoc corpus, atque respublica communis, civitas erat Thraciensium Græcorum. Neque in absimile corpus Achæorum coaluere membra, *commune Achæorum* Polybio dictum, aliisque. Corporis, pro civitate, nomen etiam Tacitus admisit: *Adjicit auctoritatem fortuna Semnonum: centum pagis habitatur, magnoque corpore efficitur, ut se Suevorum caput credant.* Civitatis verò nomen inditum est plurium coitioni atque corpori pagorum, quemadmodum aliorum temporum stylus *parochiam*, quæ nunc strictiorem intra significatum stetit, pro totius alicujus ambitu diæceseos usurpavit. Pagorum distinctione, confusionis inordinatū corporum civitatūve

devitabat amplitudo. Pagus enim portio civitatis erat, quem vicissim vicus non unus adimplebat. Illa regionum in pagos diribitio diu successoribus antiquissimæ vetustatis annis placuit, haud facilè instituto, quod publico proficuum egregio repertum fuerat exolescente. Ammianus Marcellinus lib. XXI. *Didicit, Alemannos, à pago Vadomarii exorsos, vastare confines Rhetiis tractus.* Regulo pagus iste Vadomario parebat: idcirco non pudendis arctatum fuisse limitibus oportet. Sic enim idem Ammianus lib. XIV. *In Gundomadum & Vadomarium fratres, Alemannorum reges, arma moturus.* Et libro XVIII. *Statim rex quoque Vadomarius venit.* In privilegio Theodrici, Francorum regis; *Monasterium virorum in eremo vasta, quæ Vosagus appellatur in pago Alsacensi, in loco qui vocatur Vivarius peregrinorum, qui antè appellatus est Murbach.* Aimoinus; *Imperator reliquum æstatis tempus in pago VVormatiensi transegit.* Diploma, cui copias suas Laureshamensium clerus debuit, insertum Chronico Laureshamensi: *Pro Dei intuitu vel pro animæ nostræ remedio, seu & pro æterna retributione, ut non inveniat in nobis ultrix flamma quod devoret, sed Domini pietas quod coronet, ideoque nos in Dei nomine donamus ad sacrosanctam Ecclesiam sancti Petri seu ceterorum sanctorum, quæ est constructa in loco nuncupato Lauresham,*

*resham, in pago Rhenense, super fluvium VVisgoz, &c. Quæ deinceps, in eodem diplomate, talibus excipiuntur; villam nostram in pago VVormatiense, in loco qui dicitur Hagenheim. Utrobique magnarum regionum non adspernandi districtus pagorum nomine censentur. At, sua sibi jussis habere remotioribus, propius ea, quæ nostris, vicinisque nostrorum, ex antiquis relicta moribus fuere, dispiciamus. De Chattuariis, in Juliani rebus, Ammianus; *Scruposa viarum difficultate arcente, nullum ad suos pagos introisse meminerant principem.* De Chamavis eadem scire licet è Sulpitio Alexandro, apud Gregorium Turonensem lib. I. cap. IX. *Collecto ergo exercitu, transgressus Rhenum, Bructeros, ripæ proximos, pagum etiam, quem Chamavi incolunt, depopulatus est.* Quemadmodum de Holfatis, ex Adalberonis Archiepiscopi diplomate, ad annum MCXLI. *qui serviunt in novo monasterio, in villa VVippenthorp nuncupata, in pago Holsatia, atque item alio ejusdem, ad annum MCXLIV. prædium suum, quod habuit in pago Holsatia, in villa Elmesborn.* Villa, quam pro prædio, ac, si cultior splendidiórque foret, pro prætorio casta Latinitas accepit, à barbarie vitiatæ cœpta est pro rusticarum congerie domuncularum adhiberi. Henrici Imperatoris edicta, in Adalberti procusa gratiam, pagos*

loquuntur Emisgoe, Westfalon, Angeren, in quos pontificis ejus reverentia propagabatur. Quod mirari desinet, qui & Westphaliam ambitu tunc temporis coërcitam breviorē sciverit, & Adalbertum, consummatissimum aulici specimen ideamve Politici, aures animūque quarti Henricorum possedisse. Eminendi libido, quæ cunctis affectibus flagrantior est, insuper habere moderata præfulem cogebat, qui & Archiepiscopi titulo Patriarchæ jungere dignationem, & , præter infinitos ad Aquilonem obsequendi cathedræ suæ gloriam amplexos, è vicinis quoque duodecim suffragaturos sibi corradere destinabat Episcopatus. Sed ejuscemodi Chaucidi probatæ distinctionis, non alibi vestigium reperire licet expressius, quàm in eo pago, qui Bremam accepit. *VVimodiam provinciam Magni Caroli privilegium vocat. Henricus in eo, quod Liesmundam paludésque transcripsit Adalberto: forestum etiam cum banno regali per totum pagum VVimodi. Quæ Fridericus Imp. Hartwico primo gratificaturus, reposuit: Contradimus quoque & confirmamus jam dictæ Hammaburgensi sive Bremensi Ecclesiæ forestum cum banno regali per totum pagum VVimodi.* Amplum illustrémque fuisse, discimus è privilegio, quod Anschario Leo, cognominum Papparum quartus, antistitum nostrorum

quar-

quarto concessit: *Concedimus igitur, sicut à prædecessore nostro beato Gregorio concessum est, scilicet ut gentes VVimodiorum, Nordalbingiorum, Danorum, Norwegorum, Suecorum vel quascunque Septentrionalium nationum jugo fidei prædicatione tua subdideris, &c.* Ceterum vix alia pagorum mater, quàm plurium sociatio vicorum fuit. At vicos peperit connexa sensum cohærensque domorum series, oppidorum donata nominibus ab externorum pleraque cohorte scriptorum, indigenæ verò subinde **Burg** appellitata, sicut incolæ vicorum **Burgers** aut **Burgars**/ unde *Burgarii* lexicon intraverunt Isidori. Sic de Burgundionibus Luitprandus, fuisse iis burgum, *domorum congregationem, quæ muro non clausa*: quæ quidem verba non inconcinnam exhibent agrestium descriptionem habitationum. Domatim verò nostrates primò coiisse mortales, donec, temporum successu, vicatim censerì gloriarentur, indicant etiam creberrimæ ruricularum in utraque Chaucide sedes, quæ terminatione *hüsen*, id est, domus, adamant finiri. In Majore noscitantur Edinckhusen, Osselkehusen, Uphusen, Swachusen: at Minor ingreditur turmatim: Tedinckhusen, Niebrockhusen, Oldebrockhusen, Struckhusen, Scaringhusen, Sibenhusen, Zuberhusen, Surhusen, Groethusen, Seehusen, Woltmarshusen,

fen, Rablinghusen, Heidenhusen, Scharhusen, Heifelhusen, Wyckhusen, Damhusen, Dyckhusen, Habenhusen, Canhusen, Osterhusen, Westerhusen, Suirhusen, Veenhusen, Moerhusen, Folckershusen, Westerhusen, Vischhusen, Inhusen, Kniphusen, Rofhusen, Marienhusen, Steenhusen, Rikelhusen, Wilhusen, Haltshusen, Wallinghusen, Bollinghusen, Kleihusen, Potzhusen, Poghusen, Hannekehusen, Aschenhusen, Bokehusen, Ietzhusen, Struckhusen, & si quæ alia lucem fugiunt, aut memoriam nostram, ignobiliora. Quorum pars major ab eo terræ filio, quem primum inibi cum penatibus reculæ deposuerant suæ, reportavit. Accessit à sepimento commendatio nonnullis, quod antiquior sermo noster *heim & hagen* dictitabat: non tam hostibus objectum, credo, proturbandis, quàm ne familiares rudi seculo sordes auctum fœdator porcus, aliudve populabundum animal iret. Hinc Acheim, Oldersheim, Wislesheim, Loppersheim, Hagen, Rindeshag, Bolenhagen, nota Cauconomina, supersunt. Ejuscemodi contextus ædificiorum, seu relictus sibi, seu qualibuscunque vestitus sepimentis urbium non rarò nomen, apud inscios aut incuriosos alienorum reperit autores. Uti, cum Herodotus in Ægypto viginti locat urbium millia: & Alexandro Macedoni

cedoni Indiæ fines ingresso, quinquies mille domitas civitates amplificatrix veri vetustas adscribit. Loca amplius x c. recenset in Germania transrhenana Ptolemæus, quæ τ πόλεων adficit appellatione: at intra lustra non plura, quàm duodecim (tot enim Taciti divellunt ac Ptolemæi scriptionem) nonaginta conspicuas opere inœnibusq; Germanicum solum stupuisse civitates, admodum à veritate sedet alienum. Vicos igitur serie domorum, & confluxu nobilitatos incolarum, pro urbibus Geographus accipit Alexandrinus. Ac diu postmodum nostris quoq; locutionibus obhæsit, ut nomine, quo cohibita vallo ac fossis oppida donamus, eodem juncta ruri tuguria domúsq; donaremus. Unde audiuntur Umstede, Westerstede, Rastede, Wivelstede, Bummerstede, Gristede, Roggestede, Alnestede, Eminstede, Hulstede, Nustede, Santstede, Transtede, Ghistede, Goldenstede, Offenstede, Huistede, Ulistede, Beverstede, Kockstede, Bulverstede, Kurstede, Hastede, Dinckstede, Neerstede, Demstede, Debbestede, Barstede, Bavestede, Menstede. Sed & hodie Cauci minores eo splendore atque amplitudine vicos colunt, ut ridere multorum oppida queant & urbes. Nondum absistimus à nominum indaganda ratione. Iampridem notavêre, qui famam sibi auctore Geographia

graphia peperêre, plerasque Germanorum habitationes vel ab erectis collium montiûmve, vel ab umbrosis nemorum arboretorûmve, vel à limpidis rivorum, similibûsque, cepisse nomina momentis. Majorum namque plurimi nostrorum, incertorum damnati domiciliorum, prout fons, aut nemus, aut collis fatigatos accepit, ita interdum suo nomine dilectis inserto sedibus, qualemcunque tenebris suis fœnerati lucem fuêre. Singula Caucorum demonstrantur in tellure. A monticulis aut amant etiamnum sustentari, aut quondam amavêre, Otterberg, Monkebergen, Bimbergen, Kaimbergen, Steigerberg, Freudenberg, Hasbergen, Arbergen. Sylvas æstimârunt Ainwolde, Nienwolde, Reepholt, Diepholt, Nortwolde, Borcholt, Bucholt, Hesterholt, Lepholt, Straetholt, Mansholt, Gonsholt, Garnholt, Fikensholt. Apud arbuta fortè quæ *bottel* & *buttel* prisca dixit, & nunc Belgica dicit Germania, confedere, quæis exordium sui debent Bottel, Padingbuttel, Payenbuttel, Ritzenbuttel, Westenbuttel, Kogenbuttel, Penningbuttel. Inter virgulta substituerunt ac senticeta, qui primitus inchoavêre Bochorst, Santhorst, Waterhorst, Geselhorst, Oldemagerhorst, Delmenhorst. At lota rivulis elegisse videntur auspicati Frienbeke, Scharnbeke, Schoinbeke,
Roi-

Roibeke, Borbeke, Halsbeke, Ronnebeke, Hindebeke, & in *beke* desinentia plura, quæ nunc sepulta, nonnisi in principum tabulis vivunt. Præterea non nescitur in Caucide, præsertim majore, terminatio *Hude*: qualis est in Laerhude, Boterhude, Westerhude, Blieserhude, Boxtehude, nunc urbe, Vellershude, Lismarhude, Broeckerhude, Hoblerhude, Monikchude. Si ad Anglorum *Hide* retulero, forsitan haud nimis ablutentem secutus fuero conjecturam. Etenim è Caucorum sermone Saxonumve quædam retinet Anglus, &, relicta, soni progenitoribus suis asperitate, delicatius omnia molliusque profatur. *Hidæ* verò nomine quid veniat, ex Henrico discimus Hundingonensi: *Hida Anglicè vocatur terra unius aratri cultura sufficiens per annum*. Denique, veluti primus *hidæ* alicujus arator, plures deinceps adjacentes fatigantibus, unique nomen habitationi dantibus, autor spei fuit, ac viculi molliendi: ita, qui primum invitantibus locis tugurium inædificavere, ducés existere natorum labentibus annis pagorum à culmeis casis appellandorum. In quæis sunt *Wibelbuir*, *Bergerbuir*, *Ochtelbuir*, *Middelbuir*. Signat enim *buir* casam tuguriumve. Isti verò straminis æstimatores ac culmi, laudatorem sibi habeant humanæ sapientiæ dictatorem, qui

Epistola

Epistola ad Lucilium octava sic præcipit: *Cibus famem sedet, potio sitim exstinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit adversus infesta corpori. Hanc utrum cesses erexerit, an varius lapis gentis aliena, nihil interest: scito hominem tam bene culmo, quam auro tegi.*

C A P. IX.

Brema. Sic ab amasio soli nominata frutice. Veluti Braemstede, Horst, Heiden. Brema Ptolemæo Phabiranum. Φαβίραρον, van Bremen. Bremon, Breinum, Premen, Breimas aliqui scripsere. Romanis legionariis, erudito divinante viro, prima Brema rudimenta deberi. Magno bella gerente Carolo, non ignobiles exstitisse Bremenses. Duca Bechone, pugnam cum Caroli filio commisisse. Caroli privilegia non dedere, civitatis jura Bremano, sed auxere. Clavis insigne. Camera, recessus aut maris, aut terre Claris urbibus appellatio tributa camerarum. Londinium, camera regis Anglia. Hollandia camera Leyda. Quæ exinde clavigera. Fluviorum margines inumbrire nobilitatas clavium insigni civitates. Brema, sex ante secula, celebritas.

PRoffigata barbarie (sic enim politulis appellatur) tres principes urbes Chaucia tellus accepit, in quarum amplexus totidem opum advectores fluvii ruunt. A rubis, magna inibi nascendi prorumpentibus aviditate, Bremam perhibent vocari: sicuti pagus haud multum distitus ab eodem frutice *Braemstede/ & à vepretis*